

stellam irruptio Gotthorum in Italiam, & destructio Romæ per Alaricum. Deinde Vandali & Alani transgresso Rheno Galliam inuaserunt. Alterum exemplum recitauimus ex fide manuscripti & veteris libri, de duobus æthereis cometis, qui fulserunt anno 1315, & 1316. Hos sequuta est statim grauis cōtentio de Imperatore eligendo, post Henrici 7. obitum. Vnde dissidentibus electorum suffragiis, duo electi sunt cæsares, Ludouicus Bauarus, & Fridericus Austriacus: inter quos statim intestina emerferunt bella, quæ durarunt annos octo. Veneta etiam seditio hoc tempore viguit, & Veronæ motus ac Pisis fuere. Illam verò Hipparchi nouam stellam, & alias quarum sup. cap. 4. facta est mentio, quales sint mutationes sequutæ, historiæ consulantur: ego ab illis colligendis & recitãdis studiosè abstinere volui.

Quid piè de hac stella dici possit, & de vtilitate inspectionis ostentorum. Cap. 15.



N cap. 2. nostræ tractationis cum prouocaremur à philosophica schola ad Christianam in excutiēda stellæ natura, promissimus nos peculiariter de ea, ex Christiana philosophia aliquid ex professo dicturos esse: quod nunc in hoc postremo capite præstare conabimur. Etsi autem existimemus nos nunquam à Christiana pietate recessisse, siue philosophicè siue mathematicè de hac stella disputauerimus: quin potius ita omnino nobis persuademus, eadem & philosophicè &